

ni, qui Christianam iusticiam nihil esse somniant, nisi  
ciuilem & philosophicam iusticiam,

Olim vexabantur conscientiae doctrina operum,  
non audiebant ex Euangelio consolationem, Quos-  
dam conscientia expulit in desertum, in Monasteria,  
sperantes ibi se gratiam merituos esse per vitam mo-  
nasticam, Alij alia excogitauerunt opera, ad prome-  
rendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis. Ideo  
magnopere fuit opus, hanc doctrinam de fide in  
Christum tradere, & renouare, ne deesset consolatio  
pauidis conscientijs, sed scirent fide in Christum ap-  
prehendi gratiam & remissionem peccatorum &  
iustificationem,

Admonentur etiam homines, quod hic nomen  
fidei non significet tantum historiae noticiam, qualis  
est in impijs & diabolo, sed significet fidem quae cre-  
dit non tantum historiam, sed etiam effectum histo-  
riae, videlicet hunc articulum, Remissionem peccato-  
rum, quod videlicet per Christum habeamus gratis  
am, iusticiam & remissionem peccatorum,

Iam qui scit se per Christum habere propitium pa-  
trem, is vere nouit Deum, scit se ei curae esse, inuo-  
cat eum. Denique, non est sine Deo sicut Gentes. Nam  
diaboli & impij non possunt hunc articulum crede-  
re, Remissionem peccatorum. Ideo Deum tanquam hos-  
tem oderunt, non inuocant eum, nihil boni ab eo  
expectant. Augustinus etiam de fidei nomine hoc  
modo admonet lectorem, & docet in scripturis no-  
men fidei accipi, non pro noticia, qualis est in impijs,  
sed pro